

www.e-rara.ch

Tractatus de ecclesia

Du Plessis-Mornay, Philippe

[Genevae], 1599

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1096>

Papam sive Romanum episcopum non esse iure divino catholicae visibilis ecclesiae caput.
Cap. VII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



PAPAM SIVE ROMANVM
episcopum non esse iure diuino Catholica vni-
uersalis Ecclesia caput.

CAP. VII.

TRADITIONES aduersariorum,
quas articulis fidei exaquant, si
rogemus, quum Scripturas sacras
pretexere non possint, quo fun-
damento nitantur: Ecclesiae sta-
tuta esse respondent. Hic si pugnam instrua-
mus, quod Ecclesia ad Dei voluntatem sermo-
ne expressam sese componere debeat, à quo
tamen eiusmodi dogmata quam longissime
absint: Ecclesiam regerunt in iis quae ad salutem
faciunt, errare non posse. Tum si rursus repeti-
ta temporum memoria probamus, à vero Dei
cultu ad sua figmenta defecisse, atque nefanda
idololatria sese contaminasse, excipiunt, Ec-
clesiam Romanam priuilegio specialis, ne er-
rare possit, eo nomine donatam esse, quod Pe-
tri sit sedes, qui caput est Apostolorum, atque
adeo totius Ecclesiae. Ea sit ratione, ut omnia
quae controuertuntur capita, in hanc ferè que-
stionem recidant: Vtrum vel Episcopus, vel
ipsa sedes Romana (nondum enim hoc illis est
definitum) totius sit Ecclesiae vniuersalis caput.
Hac enim fiducia Papa ius sibi vendicauit im-
mutan-

mutanda in Sacramentis Christi institutionis, & pro temporum ratione Scripturæ interpretationis, condendorum fidei articulorum, detrahenda veteri testamento & Paulinis epistolis auctoritati, nempe quod sit Christi vicarius, & Petri successor. Ergo ipsorum iudicio maximi est ad salutem momēti hic articulus, quo tam multi alij ad salutem necessarij nitantur. Hac eadem prerogatiua fretus iurisdictionem in Ecclesias Orientales vsurpauit, quas excommunicatione damnatas prædam Turcarum immanitati obiecit, quod qualem se gerebat agnoscere recusarent: Denique eo usque prouecta est audacia, vt regem se regum pronunciaret, imperia suo arbitratu constitueret, regna diripienda proponeret, subditos à fide & Sacramēto principibus dato absolueret: quod hac nostra ætate experimēto didicimus, quū res in hoc regno in summum periculum redactæ sunt. Hic igitur articulus nō omnium tantūm & singulorum Christianorum salutem respicit, vnionis tantopere nobis commendatæ causa, sed *πολιτείας* etiam, & eam quæ magistratibus debetur obedientiam, atque ad eū vniuersam vitæ humanæ rationem. Iam verò palam est, tum Christum, tum Apostolos fidei capita doctrinamq; de Sacramētis & quæ magistratibus debetur obedientia, verbis disertis variisque locis repetitā tradidisse. Hic igitur articulus, qui novos nobis fidei articulos parit, sacramenta inuertit, Reges in folio collocat & deturbat, celū cū terris vnus hominis libidini

In Cōc. Constantin. Decisiones Rotæ.

subiicit, perspicuè quoq; in scripturis proponi debet. Sin disertis verbis nõ exprimitur, alterutrum sequi necesse est, vel Dominũ ipsum & Apostolos vt cælum terrã miscerent ex professio nos illum celasse, quod sine blasphemia dici non potest: aut falsum omnino esse, atque idcirco quicquid superstructum huic fundamento innititur, penitus corruere. Ergo singulos quibus sua salus curæ est, adiuro, vt huius articuli theses accuratissimè expendant. Etenim si hoc vnicum papisticæ doctrinæ fundamentum Christo non nititur, aliud à Christo fundamentũ Papam in Ecclesia posuisse consequetur, repugnãte Apostolo: Atque idcirco ne eorum quidem numero reponi debere, qui Christo fundamento superedificarint lignum, fœnum & lapides: sed Antichristũ potiùs, qui lapidis illius angularis & vnici totius Ecclesię fundamenti locum inuasit.

Christum filiũ illum Dei caput esse vnicum Ecclesię profiteamur. Petrũ aduersarij malunt. Nos verò, qui corpus in scripturis, ait Augustinus, nempe Ecclesiam inuenerimus, non est quod aliunde caput educamus. Aserit Paulus,

Eph. 1. 23. &
4. 16. & 5. 23.
Col. 1. 18.

Rom. 12. 5.

Christum esse caput Ecclesię, hanc autem illius complementum, quæ omnia implet in omnibus. Item, Christum esse caput Ecclesię, vt & virum caput uxoris, qui & salutem det corpori. Item, Multos in Christo vnum corpus esse, singulatum autem alios aliorum membra. Ergo nostra illa thesis ita est perspicua, vt eam negare sit nefas. Itaque Christũ caput esse Ecclesię concedunt:

sed

sed adiiciunt, vicarium caput necessarium esse, ad totius corporis regimen. Hoc autem Petrum esse in successoribus, quem distinctionis causa ministeriale caput dicitur. Hoc illud est quod disertis scripturæ verbis probare necesse habent: Planè enim negamus.

Primum, regnum hîc nobis terrenum fingere profus alienum est. Suum enim regnum Christus de hoc mundo non esse docet. Iam verò ut regis, sic nec proregis etiam ex mûdo erit. Vicaria igitur ista potestas neque est mûdana, nec huius seculi, nec potest ad imperia terrena extendi, nec Episcopus Romanus eo nomine in temporalibus & spiritualibus (ut loquuntur) monarchiam sibi vindicare poterit: sed quale est regnum Christi spirituale, nimirum in gubernâdis piorum animabus, quas verbo pascit, situm. Denique, ut docet Paulus, *Pax, iustitia, & gaudium in Spiritu S.* Sic spirituale esse oportet seniorû ministeriû, quod in verbo situm est, & ea quæ diximus effecta profert. Multo minus terrenum regem nobis fingere debemus. Christus enim filius est ille Dei æternus, qui quidem implet omnia, præsentissimâque Spiritus sui virtute rebus omnibus adest, eritque ad consummationem vsque seculi in medio eorû qui in nomê ipsius cõsentiunt. Quorsum igitur ex principum more proreges ad moderandâ populi sui corda? Spiritus enim hæc sunt effecta, qui quidè in verbo eam explicat efficaciam quâ sibi nemo mortaliû quâtus quâtus sit, vel sanctitatis nomine eximius, sibi

Aug. in hæc
verba Regnâ
meû. Regnû
Christi ii
sunt qui in
eum credût.

arrogare potest. Istis autem si mirum videatur, Deum, utpote Deum, Ecclesiam (quod se facturum promisit) spiritu suo regere: iam mirari desinant, nos crassam illam & corpoream in missa, quam Dominus non instituit, praesentiam negare.

Adhuc non agitur de eiusmodi regno, in quo vices principis solus quispiam tueri possit: sed de praedicando per vniuersum orbem Euangelio, de reconciliandis cum Deo per verbum totius mundi populis: &, ut vno verbo absoluam, de Euangelij ministerio, quod in verbi & sacramentorum quouis loco administratione situm est. Hoc verò nemo hominum solus praestare potest: sed is demum, qui ipse sermo est & vnicum sacrificium: quia unitam habet cum humanitate Deitatem, infinitamque potentiam. In hunc igitur solum competit, ut sit episcoporum Episcopus, Pastor pastorum, summusque sacerdos: nec quisquam potest aut ministeriale caput esse, aut vicarias partes in istis muneribus obeundis obire: sed quisque siue pastor, siue Episcopus, in suo grege Christum refert, dum suum munus exequitur: nec Episcopum Romanum superiorem agnoscit, quemadmodum à Cardinali Cusano Constantiensis concilij temporibus disputatum fuit.

Enimuero quòd Mosem & Aaronem proferunt, quorum alter politicis, alter sacris rebus praefuerit, quum tamen Dominus Israelitico populo adesset, perperam in suas partes

2. Pet. 2. 25.
Heb. 6. 20. &
7. 26. & 9. 11.

Cardin. Cusanus. 1. 1. de
Concord.
Cathol. c. 6.

tes trahunt. Nam vt Dei expressum mandatū taceam, tum quod ad ipsos attinet, tum ad Aaronis in Dei cultu posteros, accedebat, quòd exigui erant totius ditionis termini. In vnica autem ditione sola Hierosolyma, in illòque oppido templum vnicum in quo sacrificia offerri fas esset, vt solus tum gubernator, tum sacerdos summus sufficere possent: Quum exhibito Messia, vniuersus orbis sit templum vnum, populi omnes grex vnus, quem verbo Dei pasci sit necesse, quod nemo hominum sibi arrogare potest. Nec eo sanè animo hæc à me dicuntur, vt Papam negem ea ambitione laborare, cui satiandæ vniuersus orbis non sufficiat: quis enim tot historiarum veritati reclamet? Sed hoc demum affirmare ausim, ex illo ordine neminem esse, qui diadema nõ sit abiecturus, ac lubens, si vel minima diæcesis esset assidua prædicatione verbi docenda. Institutum igitur illorum nihil admodum iuat hæc exceptio: nisi fortè Iudaismū sapiant, aut, vt ait Hieronymus, orbem in vrbe concludere, Christi que mortem, quæ vniuersum orbem spectet, inanem reddere velint. At nos obiter ex illis exemplis colligimus: Quum vt ipsi volunt, Moses in politiam, Aaron in Dei cultum præfecturâ obtinerent: Papam alterutro saltem contentum esse debere, nec alterum inuadendo, regibus & principibus præiudicare. Quod si regerant, se satis idoneos, qui legatorum Christi vniuersalium toto orbe vices gerant, vt ne eos ad *παλιμ* reuocet,

quæ nusquam erit : quero tantumne ex spiritu Christi, an suo, sibi assumere velint. Si ex suo, spiritum esse oportet Principis huius mundi, non qui regat sed regnis inhiat: Atque inde misera ecclesia existimanda est, quæ vano horum hominum spiritu quem sibi tanta copia arrogat, regatur: Sin Christi, dicant rursus posco, ut (quod Christus promisit) agnoscant, hunc spiritum in sermone vite per suos ministros promulgato efficacè esse: vnde cõsequitur, quemque in suo ministerio Episcopum & Pastorem visibiliter Christum referre: Aut nobis ex scripturis probent, sic Christum sui spiritus fontem pectori Papæ cõclusisse, ut iam aliunde frustra petatur aut expectetur. In summa, regnum Christi in eo situm est, quod suos gubernat, efficacitatè verbo & sacramentis ex spiritu suo concedens. Ministerium porrò Euangelij in hac verbi & sacramentorũ administratione situm est. Nullius autem est hominis, largiendi aut infundendi spiritus vim sibi arrogare: quandoquidem à solo est patre & filio. Christus igitur solus Deus & homo caput est essentielle Ecclesiæ. Iam nec prædicando Euangelio, aut in vniuerso orbe obeundo ministerio; nemo hominum par esse potest: Nec caput igitur ministeriale totius Ecclesiæ quisquam esse potest: sed in sua quisque præfectura pastor & minister, sub pastorum pastore, Domino nostro Iesu Christo. Atque hæc causa est, cur Tertullianus nullum alium nobis in Ecclesia vicarium

carium & legatum generalem Christi proponat, quàm Spiritum sanctum, qui à Patre & Filio procedit, quem postquam è terris migravit misit ad suos. Sic enim ille, *Quum pro-* De uelendis
pterea Paracletum miserit Dominus, ut quoniam Virginibus
humana mediocritas omnia simul capere non po- c. 1.
terat; paulatim dirigereur, & ordinareur, &
ad perfectum perduceretur disciplina, ab illo vi-
cario Domini Spiritu sancto, &c. Et alibi recitâs
articulos Regulæ Fidei; non dicit, Christum
Episcopum Oecumenicum in terris consti-
tuisse qui se absente Ecclesiæ præsit, ut volunt
Aduersarij. Sed, *Tertia die resurrexisset, in cœlis*
ereptum sedere ad dexteram Patris, misisse vica-
riam vim Spiritus S. qui credentes agat.

Age verò, expendamus quod aduersarij dicunt, Petrū ministeriale caput Ecclesiæ fuisse, idest Papâ. Quod si verum est, illud ipsum à Christo habuisse fateantur oportet: Neque enim aut aduersus aut absque illius auctoritate tantam dignitatem præsumpisset. Idq; apertè dicit Gerson his verbis, *Papalis auctoritas si non esset à Deo & Christo immediatè, à tota Ecclesia constitui non poterat.* Iâ verò si Christus eiusmodi gradum constituit, & Ecclesiæ usque adedò necessarium, ut isti dictitant, Petrum hoc munus obiisse facilè concedent: Alioqui Ecclesiam ἀθεξία pessum dedisset. Hūc ergo si nec Christus instituit, nec Petrus obiuit, reliquum erit, ut nullum supersit Ecclesiæ ministeriale caput.

Quod ad prius illud attinet, vniuersum

Mat. 18. 3. &
ibi gloss.
Matt. 20. 15.
Luc. 21.
Vbi Chryf.
& Orig.
Matt. 22. 25.
Luc. 22. 25.
Mat. 10.
Aug. ferm.
10. de verb.
Domini.

Luc. 22. 30.

Matth. 19. 3.

Euāgelium humilitatem nos docet : vt infantibus similes, & spiritu pauperes simus : cuius se Christus Apostolis exemplar præbet; Apostolos autem orbi vniuerso exhiberi iubet. *Ego, inquit, sum magister vester : Ego tamen vt ministrum vobis adsum medius.* Quum autem inter Apostolos semel atq; iterum de primatu contentio suborta esset, his verbis litem diremit: *Qui vestrum est primus aut maximus. sit omnium seruus: & discite ex me, non, ait Augustinus, mundū fabricare, non in ipso mundo miracula facere, &c. sed, quoniam mihi sum & humilis corde.* Quod ad Petrum attinet, ne ex vocatione primus haberi posset, ab Andrea fratre suo ad Christum adducitur: Bini ad prædicandum Euāgelium tanquam collegæ ablegantur: quod eminentiam omnem excludit. Vbi Christus 12. illis thronos pollicetur, ad iudicandas 12. tribus Israël, nullū tamen Petro, cui vt præses infideat, erigit. In celebri illa triumphatis Ecclesiæ apud Ioannē descriptione, 12. fundamēta ciuitatis illius cōstituuntur, in iisq; nomina 12. Apostolorū Agni: Nullo autē loco Petrus vt angularis lapis collocatur. Denique vbi Spiritū S. ligādi & soluēdi potestatem, mandatū per vniuersum orbē prædicādi accipiūt: vbi Spiritus S. in eos immittitur, tum in vnum omnes ordinem cogūtur, nec vlla alij in alios prærogatiuā donantur. Iis igitur locis, quibus si quis esset primatus doceri debuisset, ne vestigiū quidem adhuc vllū primatus apparet.

Aduersus hæc quæ primatum negant atque etiam subuertunt loca, hæc nobis ad Petrum

Christi verba obtrudunt, *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferorum non preualebunt aduersus eam.* Matth. 16.
 Ex hoc porro loco aduersarij hanc thesin eliciunt: *Ecclesia super Petrum fundata est.* Nos longè diuersam: *Ecclesia Christo ut lapidi inniuitur, nominis que ipsius vera confessioni.* Quod dicunt, ex eo probare sibi videntur, quod dicitur, *Tu es Petrus.* Nostram thesin ex his verbis confirmamus: *super hanc petram, & non super te Petrum.* Ac certè quàm apertissimè Dominus Petrum à petra distinxit, hoc est, Simonem Petrum à firmissima illa rupe cui superædificata est Ecclesia, mutato tum nomine, tum persona, quod contextus arguit Dominum facturum non fuisse, si locus ad Petrū, non autem ad Christum lapidem angularem, vel ad Petri confessionem referri debuisset. Iam verò iudicent pij, vtrum sit magis fidei ἀνάλογον, aut Ecclesiæ salutare, Petrone Ecclesia, an Christo innitatur: Filio, inquam, Dei viui quem confessus est Petrus: An Petro, qui paulò post eundem Dei filium miserè abnegauit: Illo qui satanam debellauit: an isto, quem eodem capite satanam Christus vocauit: Eòne, qui lapis est ille angularis: an isto, qui Christo fuit scandalū & lapis offensionis. Mat. 16.
Nemo, inquit Paulus, aliud ab eo quod posui fundamentū ponere potest, quod est Christus. Vos, inquit Petrus, *vinii lapides estis, lapidi angulari superstructi, cui qui credit, nō pudefiet, id est, Christo, qui viuus est Ecclesiæ suæ lapis & fundamentum.* Marc. 8. 33.
 2. Cor. 3.
 1. Pet. 2.

- Perſpicuum eſt igitur, eo loco Chriſtum ſuper ſe ipſum ædificare, non ſuper Simonem Petrum: ſuper fidei confeſſionem, non autem Petri fidem, quam paulò momento conculſam legimus. Et certè Iohannes hanc hiſtoriam enarrans, Petri confeſſioni inhæret. Ne tamen populo imponant ſub antiquitatis larua: Age expendamus quid in huius loci explicatione veteres doctores docuerint. Sed priùs rogatum velim lectorem, ne moleſtè ferat, ſi aduerſus has falſas Antiquitatis præſuppoſitiones paulò fuero prolixior. Hermas in Paſtore ſuo ſæpe citat Origenem; *Lapides in ſtructura Eccleſiæ, ſunt Apoſtoli & Epifcopi, &c. Primus eorum Fides eſt, per quam ſalvi electi.*
- L. 1. viſione 3. Idem, *Petra hæc, ſuper quam Eccleſia, Filius Dei eſt; Petra vetus, Porta noua &c. Porta, Filius Dei, ſolus accessus ad Deum, &c.* Ponit hîc ergo apertè Chriſtum, & confeſſionem nominis ipſius fundamenti loco: Et Apoſtolos æquali inter ſe gradu, non autem Petrum prærogatiua, lapides huic fundamento ſuperſtructos: & iis, Epifcopos & fideles Eutychanus, Epifcopus Romanus, *Unum hoc immobile fundamentum; una hæc ſælix Fidei Petra, Petri ore confeſſa; [Tu es Chriſtus, &c.]* Non ergo Petrus, ſed Chriſtus, quem Petrus conſitetur & agnoſcit. Origenes, *In fundamentis ſpiritualis ædificij collocantur Apoſtoli & Prophetæ; Chriſtus autem fundamentum eſt: iuxta illud Apoſtoli; [Nemo poteſt aliud fundamentum ponere,] &c.*
- In Epift. Illum autè locum ex profeſſo explicans, *[Tu es Petrus, inquit, & ſuper hanc Petram, &c.]*
1. Cor. 3.
In Mar.

Petra est quisquis Christi discipulus est, ex quo
 biberunt de consequente Petra: Et super talē Pe-
 tram constructur omnis Ecclesiastica doctrina, & In Mat. c. 16.
tra 2a. 1.
 secundum hanc vitæ institutio, &c. Item, Si dix-
 erimus quod Petrus: [Tu es Christus &c.] sum⁹ &
 ipsi quod fuit Petrus; & nobis dicetur quod hunc
 sermonem sequitur [Tu es Petrus &c.] Petra e-
 nim est quisquis Christi discipulus est, &c. Idem,
 Quod super unum illum Petrum tā ūm existimas
 edificari totam Ecclesiā; quid dicturus es de Ioā-
 ne filio tonitruus, & Apostolorum unoquoq;? Quin
 alioqui, num audebimus dicere quod aduersus
 Petrum unum non preualitura sunt portæ infero-
 rum, aduersus autem ceteros Apostolos ac perfe-
 ctos preualiturae sint: Ac non potius in omnibus,
 ac singulis eorum; de quibus dictum est; [Et portæ
 inferorum non preualebunt aduersus eam.] Item
 illud. [Super hanc Petram, &c.] An verò soli Pe-
 tro dantur clauēs regni cælorum, nec alius bea-
 torum quisquam eas accepturus est? Quod si dictū
 hoc; [Tibi dabo] ceteris commune est, cur nō æquē
 omnia, & quæ prius dicta sunt & quæ sequuntur,
 velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia?
 Quid apertius dicere potuisset: Si agitur de fū-
 damento, est Petra, non Petrus; Christus, non
 Simon Petrus: Si de præcipuis lapidibus huic
 fundamento superpositis, omnes Apostoli pa-
 ri gradu: Si de iis quæ superstruuntur, vt pro-
 cedat in altum ædificium; pariter omnes fide-
 les, pariter omnes hi lapides viui, superstructi
 lapidi angulari. Is autē est Christus. Item, Quo-
 nam ante y qui Episcoporum locum sibi vendicant,

uiuntur eo dicto [Tu es Petrus, &c.] Aliàs si cre-
 dū: se ligaturos in terra, &c. nō intelligū Scriptu-
 ras; & iunefacti incident in diaboli ruinā. Oppo-
 nūt Tertullianū Origeni: sed quū fuerint cō-
 tēporanei, vix credi potest in articulo, in quo
 summa rei ponitur, dissensisse. Tertullianus
 igitur sic loquitur non exponens eum locum,
 sed aliud agens, *Latiūne aliquid Petrum adi-*
 De præfer c. *ficanda Ecclesie petram dictum, clauēs regni cœ-*
 22. *lorum habentem?* Sed & addant id quod sequi-
 tur, *Latiuit & Iohannem aliquid, dilectissimum*
Domino, pectori eius incubantem? &c. Quin e-
 tiam seipsum explicat perspicuis verbis libro
 de pudicitia ad Episcopum Romanum, *De*
 L. de pud. *tua nunc, inquit, senētia quero, unde hoc ius de-*
 cit. c. 21. *licitorum eiusmodi remittēdorū Ecclesie vsurpes.*
Si quia dixerit Petro Dominus [Super hanc pe-
tram, &c. Tibi dabo clauēs, &c.] idcirco presu-
mis & ad te deriuasse soluendi & alligandi pote-
statem, id est, ad omnem Ecclesiam Petri propin-
quam? Qualis es euertens atque commutans ma-
nifestissimam Domini intencionem, personaliter
hoc Petro conferentem, &c. Sic enim & exitus do-
cer; In ipso Ecclesia extruēta est, id est per ipsum,
ipse clauem imbuit: Vides quam, [Viri Israēli-
ta auribus mandate qua dico, Iesum Nazarenū
vobis à Deo destinatum, &c.] (Ergo architectus
est, nō fundamentū) Ipse deniq; primus in (Chri-
sti Baptismo reserauit aditum regni cœlestis, &c.
Hæc igitur semel dicta sūto de plurimis eius-
modi Veterum locis. Nec enim illis vnquā
in mentem venit, Petrum extollendo, quod
dictū fuit illi ad Successores deriuare: Africa-

nis in primis; qui si eodé sensu accepissét quo Aduersarij nostri, nō ita obnixè restitissét quò Romā non euocarétur. Nec est quod regerant hunc librū à Tertulliano conscriptū ab eo tēpore, quo in Mōtanistarū errorē incidit. Extabat enim etiā tum liber de Monogamia quem nobis opponunt, vbi ille ait, *Super petram*, quē admodū hīc, *Super te*, &c. Idem est sensus eorū quæ profert Cyprianus dū ait obiter & aliud agēs, *Petrus, super quem Ecclesia dignatione Domini fundata est*: Alioqui dicit alibi, *Dominus Apostolis omnibus post Resurrectionem, parem potestatem tribuit, & dicit, [Sicut misit me Pater,] &c.* Item, *Hoc erant utique & ceteri Apostolis quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, primatus Petro datur, ut vna Christi Ecclesia, & Cathedra monstretur vna.* Vbi notandum est hæc dici ab illo propter Nouatianū, qui Schisma fecerat in Romana Ecclesia, & tamen eādem amplectebatur doctrinā; requirebat verò rigidiorē in Ecclesia disciplinam: adeo vt ab iis qui ab ipsius partibus stabant fuerit ordinatus Episcopus qui opponeretur Cornelio. Ibi igitur non agit Tertullianus an Oecumenico Episcopo sit opus in Ecclesia: sed ait in vna vrbe vnicum Episcopum ad conseruandam vnionem requiri. Patet autem illud ex iis quæ paulò post addit, *Et esse posse vno in loco aliquis existimat plures pastores, aut plures greges?* Ad hæc, quomodo cum illis congrueret egregia illa quam contra Iudeos habuit oratio sexcen-

De bono patient. & ad Quirinū.

De simplic.

De vnit. Eccles. seu de simplic. Prælat.

Ad Quirinū, cont. Iudeos, vide lib. 2.

tis testimoniis ab illo confirmata? qua probat Christum esse lapidem illum, de quo loquitur Esaias quum ait, *Pono in fundamentum in Sion lapidem pretiosum & probatum?* Dicit Hilarius, *Unum igitur hoc est immobile fundamentum; una hæc est fœlix fidei Petra, Petri ore confessa; [Tu es Christus Filius Dei viui, &c.]* Non igitur Petrus, sed quem Petrus ore confessus est, Christus. Et iterum, *Hæc fides Ecclesie fundamentum est; Per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt inferorum portæ; Hæc fides regni cœlestis habet claves; Hæc fides quæ in terris soluerit aut ligauerit, & ligata sunt in cœlis & soluta.* Non igitur Persona, sed fides & Confessio Petri. Prodeat Basiliius, *Dixerat Petrus; [Tu es Christus Filius] & vicissim audierat se esse petram; ita laudatus à Domino. Licet enim Petra esse; non autem petra ve Christus; ut Petrus, Petra erat: Nam Christus verè est immobilis Petra; Petrus verò propter Petram: Axiomata enim sua Iesus largitur aliis: largitur autem ea non euacuatus, sed nihilominus habens. Lux est; Vos estis lux mundi; Sacerdos est, & facit Sacerdotes: Ovis est, & dicit; Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum; Petra est, & petram fecit. Certè lapis viuus positus super lapidem Angularem, eodem cum aliis loco & gradu qui eidem confitentur Ioann. 6. Quemadmodum omnes sunt lux, omnes Sacerdotes, omnes oves, &c. quemadmodum paulo antè dixerat; Petrus tertio abnegauit, & collocatus est in fundamento. Aliud enim est fundamentum, illud est Petra, & Petra posita super fundamē-*

tum est Petrus: Et quisquis Christianus, ait Origenes, imitator est Christi, Veræ Petræ, est illa petra. Ambrosius, *Dicit Dominus ad Petrum, [super istam Petram, &c.] id est, in hac Catholica Fidei confessione statuo fideles ad vitam.* Nam & David disposuit domum Dei, & signavit locum ubi fieret; Salomon verò fundamentum, ipso lapide angulari [Christo Iesu, &c.] Vnde Dominus ait [Super istam Petram, &c.] Duos enim populos in se suscipit Saluator, & fecit unum in Domino: sicut & lapis angularis duos parietes in unitate domus firmatos, &c. exponens hunc locum per illum ad Ephesios; id est, hunc lapidē In epist. ad Ephes. cap. 2. ædificij, per lapidem angularem qui est Christus. Ideoq; dicit alibi; *Quod Petro dicitur ceteris Apostolis dicitur: omnibus, in quâ, superstruetis huic lapidi, ita tamē vt suo quisque sit positus loco.* Concinit & Hieronymus pluribus In Psalm. 39. in locis, *Ecclesia domus hæc est fundata super firmam Petram quæ est Christus, &c. Venerunt venti, & flauerunt, & firma stetit, &c.* Item, *Super* In Psalm. 40. *Petram fundata erat, id est super Christum. Fundamentum quod Apostolus architectus posuit, vnus est Dominus noster Iesus Christus, &c.* Idem, In Matth. 8. *Petra Christus est, qui donauit Apostolis suis, vt ipsi quoque Petra vocentur (non ergo hoc speciali priuilegio Petro) Tu es Petrus, Qui in istis petris fuerit, aduersaria potestates, quæ appellatur equi, persequi eum non poterunt.* Idem, *Petra frequen-* In Abdiā c. 1. *ter in persona Domini, vel in soliditate ponitur. Unde & Propheta, [Stauit supra Petram pedes meos,] & ad Petrum; [Tu es Petrus, & super hæc*

In Ioā. tract. 124. *Petrā, &c.*] Iā verò Augustinū audiamus, *Fūda-
ta est Ecclesia super Petrā; unde & Petrus nomen
habet: Nō. n. à Petro Petra, sed Petrus à Petra:
sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à
Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus; [Super
hāc Petrā &c.] quia dixerat Petrus, [Tu es Chri-
stus, &c.] Super hanc ergo Petrā, quā confessus es,
adificabo Ecclesiam, &c. Petra erat Christus su-
per quod fundamentum ipse edificatus est Petrus.
Nam nemo potest ponere aliud fundamentum,
quam id quod positum est, [Christus. Idem, Quid
est [Super hanc Petram, &c.] Super hanc fidem,
super id quod dictum est; [Tu es Christus, &c. Su-
per hanc Petram, inquit, fundabo Ecclesiā meam]
Item, Super Petram quam confessus es, super hanc
Petram quam agnouisti dicens; [Tu es Christus,
&c.] Super me edificabo te, non me super te. Nam
volentes homines super homines edificare, dice-
bant; Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo; e-
go verò Cephæ; Ipse est Petrus. Sed alij qui nole-
bant edificare super Petrum, sed super Petram, di-
cebant; Ego sum Christi, &c. Et sic pluribus alijs
in locis: longum verò nimis esset omnia
proferre. Chrysostomus hunc locum expli-
cans, [Super hanc Petram, hoc est, Super hanc fi-
dem & confessionem. Idem, Super hanc Petram,
non dixit, Super Petrum: Non enim super homi-
nem, sed super fidem edificauit Ecclesiam suam.
Quæ autē erat fides: [Tu es Christus Filius, &c.]
Quid est, Super Petram? Super confessionem: super
sermones pietatis, &c. Confessionem non minus
aliorum Apostolorum, quā Petri. Nam ait,*

In Epist. Ioā. tract. 10. Et de verb. Do-
mini ser. 60.

In Mat. c. 16.

In ser. de Pē-
tecoste.

In serm. de
Pentec.

Erans

Erant Apostoli columna, quoniam virtute suarobur Ecclesie sunt fundamentum, quia in confessione ipsorum fundata est Ecclesia, dicente Domino; [Tu es Petrus, &c.] Eusebius Emiffenus,] Et su^{In nativ. Petri.} per hanc Petram.] Si Petrum non intelligis, Petram respice; Petra autem erat Christus. Sic igitur à Petra, Petrus: Sic à Christo, Christianus, &c. Super hanc Petram, quam tu modò in fidei fundamento posuisti; super hanc fidem quam tu modò docuisti, dicēs, [Tu es Christus] edificabo Ecclesiam meam. Huic enim sententiæ concordans, dicit Apostolus; [Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus] Ac si diceret; Non est aliud fundamentum, nisi illa Petra, quã Petrus posuit quum diceret; [Tu es Christus Filius Dei vivi;] Super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam.

Iã verò Aduersarij cuniculos nostros transfuerfis cuniculis excipere conantur, id est, opponunt loca locis & conflictari faciunt. Dicunt enim, Nonne Patres aliis locis aiunt Petram significare Petrum? Sed quàm illa sunt obtusa tela & quàm infirmæ vires si cum nostris comparentur? Sed velim vt mihi sincerè & ex conscientia testimonio respondeant, si alterutrius daretur illis optio, à quonam starent? Athanasius, inquit, scribens ad Fælicè, Romanum Episcopum, dicit illi [Tu es Petrus, &c.] Et super fundamentum tuum Episcopi, columna Ecclesie sunt confirmata. Prætereamus, quòd de hac Epistola dubitatum est; Recipiatur. Sed quis crediderit Athanasium hoc priuilegium

In epist. ad
Fæli.

Conc. Chalced. a. 451.

In Num. homil. 3.

Aen. Sylu. siue Pius II. de gestis Bas. Concil. li. 16.

ad successores protendisse, quum videt Liberium & Felicem Arrianos; successores, si ipsi fides habeatur, Petri Romæ? Quum etiam Patres, siue illi Græci, siue Latini, eum Apostolorum os nuncupant, Collegij sui primum, Petram firmam, &c. quis aliter crediderit quàm quod modò diximus? Siquidem Latini, magna ex parte Africani, adeo obnituntur, ne Romæ euocentur. Græci quoque longa temporum serie sese ad eò Primatui Romani Episcopi opposuerunt. Quoniam etiam Concilium Chalcedonense quod illi proferunt, ubi Petrus vocatur Petra, siue *crepido Ecclesie*, nullis aliis titulis hunc, quem volunt Successorem dici, insignit, quàm Romani Archiepiscopi, nihilque illi amplius tribuit quàm aliis Archiepiscopis? Voces verò & tituli illi omnes quid aliud sunt quàm laudes quibus illum particulariter ornant, ob gratias ipsi à Deo collatas, ob constantiam, virtutem, zelum? In quæ quis magis est iniuriosus quàm ij qui illà, quam ipse pretendit successorem & cathedram, conspurcant? Quum igitur Origenes vocat *Paulum Apostolorum maximum*, hincne eliciemus imperium habuisse in Petrum? Nam quantum ad illa quæ Leo I. & Gregorius I. dicunt, liceat nobis cum iis qui Concilio Basiliensi interfuerunt liberè respòdere, *Esse Papatum verba simbrias suas extendentium*. Etiam si Gregorius I. eò adactus ob fastum & ambitionem Episcopi Constantinopolitani apertè fateatur & pronuntiet eum qui primas obtinere vult in Ecclesia, esse

Antichri-

Antichristi præcursorem ut suo loco melius patebit. Iam verò audiant Augustinum in suis *Retractat. I.* *Retractationibus* in hæc de quibus contro- *I. c. 22.* uertitur: *In hoc libro dixi quod à loco de Apostolo Petro, quòd in eo, tanquã in Petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiã cantatur ore multorum in versib. Beatis. Ambros. ubi de gallo gallinacco inquit; Hoc ipsa Petra Ecclesia canente culpã diluit: Sed scio me postea sepius exposuisse quod à Domino dictũ est, [Tu es Petrus, & super hãc petrã] ut super hãc intelligeretur quod cõfessus est Petrus, dicens; [Tu es Christus &c.] Ac si Petrus ab hac Petra appellatus, personam Ecclesia figuraret, quæ super hanc Petram ædificatur; & accepit clauces regni cœlorum. Non enim illi dictum est; [Tu es Petra] sed [Tu es Petrus] Petra autem erat Christus, quam confessus Simon, sicut etiam tota Ecclesia confiteitur, dictus est Petrus. Harum autem sententiãrum quæ sit probabilior, eligat Lector. Quam verò elegerint doctiores interpretes *In Mat. c. 16.* satis constat. Theophylactus quidem ait, *Remunerat Petrum, dicendo Ecclesiam suam super eum ædificatam iri.* Sed eadem linea addit: *Super confessionem quam confessus es, quæ futura est fundamentum credentium.* Bedæ; *Qui fodit in* *In Luc. c. 16.* *altum & fundamenta posuit super Petram. Fundamenta quando pluraliter in Ecclesia mysterio ponuntur, Doctores significant, &c. quando autẽ singulariter fundamentum, ipse doctorum Doctor, & fundamentũ fundamentorum exprimitur Christus [Nemo enim aliud fundamentum ponere potest] dicit Apostolus, &c. [Petra autem Christus,**

- In Cant. Can-
tic. ferm. 61. &c.] Prodeat etiam Bernardus; *In cælis Pe-
tra; in illa firmitas & securitas est. Et reuera, ubi
tota firmæque infirmis securitas & requies, nisi in
vulneribus Servatoris? &c. Fremi mundus, pre-
mit corpus, Diabolus insidiatur: non cedo; funda-
tus enim sum super firmam Petram, &c.* Et Tho-
mas ipse dum quoque scriberet contra Græ-
cos & Armenios; *Beatus Petrus qui promissio-
nem à Domino accepit, ut supra eius confessione
fundaretur Ecclesia. Idem, Liberius caput Ec-
clesiæ & summus Pontifex, in veritate vacillavit,
&c.* Vide ut non vereatur Episcopum Roma-
num hæreticis accensere. Item alibi, *Ecclesia
in Petri confessione fundata: Petrus enim à Petra,
Petra autem Christus. In Petri ergo nomine figu-
rata est Ecclesia, que supra firmam Petram im-
mobilem, idest, Christum fundata est. Idem om-
nes Apostolos & discipulos dicit esse Christi
vicarios. Sic enim ait, Apostoli & Christi disci-
puli omnes Christi vicarij, & Petri successores, in
quorum sanguine Ecclesia fundata est. Duran-
dus, Apostolis successerunt Episcopi, qui quidem
Apostoli eandem à Christo dignitatem potestati-
emque acceperunt, &c.* Glossa interlinearis,
*Super Petram, idest super Christum in quem Pe-
trus credit.* Glossa ordinaria, *Tu es Petrus, sed à
me Petra; ita tamen ut mihi retineam fundamē-
ti dignitatem.* Notandum verò est eius Glossæ
authorem integrum Retractationis Augusti-
ni locum ibidem adscripsisse, ne quis ad eum
lapidem offenderet. Lyranus, *Tu es Petrus,
nimirum confessor veræ Petræ, & super hanc Pe-
tram*

Opusc. 6.

In opusc. 20.

In Ioan. c. 6.
lc. 15.

In opusc. 10.

In l. de Con-
cilio.Glos. inel.
Glos. ordin.

Lyranus.

eram scilicet Christum. Hugo Cardinalis, *Id est super hoc fundamentum sicut dicitur* [1. Corinth. 10. *Petra autem erat Christus, & cap. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus (Christus. Super hanc Petram]* id est fidei firmitatem, [Esai. 27. *Ecce mitam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, &c.*] Cardinalis de Alliaco, *Super Petram, id est super Christum, & verbum eius. Ferrus, qui hac nostra ætate Prædicator habitus est celeberrimus in Ecclesia Cathedrali vrbis Moguntia.* [Super hanc Petram, &c.] *Non est hominis ut sit Petra, sed solius Christi. Hoc autem nouum nomen acquirit qui super hanc Petram ædificatur, quod in Petro vides, &c. Item, [Super hanc Petram, &c.] id est super Christum, super quem fundata est Ecclesia, aut potius super veram fidem, quod ex verbis Christi perspicue colligi potest. Competit enim vni Christo esse Petram: Sed quicumque huic insidet Petra hoc nomen acquirit, quemadmodum ex Petri patet exemplo. Super hanc confessionem igitur per quam Petra effectus es (id est lapis vnus viuus huius ædificij) ædificabo Ecclesiam meam. Qui huic fidei innixus est, perinet ad Ecclesiam, ubicunque locorum; qui eam nescit ad eam fidem non pertinet, etiamsi primus in Ecclesia videatur. Sed enim confugiunt ad toties recantatam suam illam distinctionem, Nempe, Christum haud dubie esse fundamentum Ecclesie essentiale, Petrum tamen nihilominus ministeriale esse: Sic nimirum ob ministerium appellari. Verum hinc querimus,*

quis siue scripturæ siue Patrum locus hoc illis dictauerit. Quid, an non confecimus, nullum, quod in idem recidit, esse ministeriale caput? Attamen respondeant: Petrusne aliud ab Apostolatu mun^o sustinuerit? Si aliud velint, quam verum sit quod dicunt probari, & in quo fitum fuerit explicari petimus. Si negent, inde conficitur, reliquos Apostolos ministerialia cum ipso fundamenta fuisse, nec ipsi superstructa, vt nec eas quas exædificarunt Ecclesias. quod & Hieronymus scribit in epist. ad Gal. cap. 2. *Columnæ Petrus, Iohannes, Iacobus, super quas erat Ecclesia confirmata.* Idem alibi, *Colūna sum Ecclesie Apostoli, & maxime Petrus, Iacobus, & Iohannes, &c. Et omnes credentes qui vicerint aduersarium, &c. columna in Ecclesia fieri possunt.* Et sanè Paulus ad Ephes. docet [*pios superstructos esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cuius imus angularis lapis sui ipse Iesus Christus*] & à se prædicatum Euangelium profitetur multis locis, vbi non esset nominatus Christus, vt ne super alienum fundamentum ædificaret. Iohannes etiam [*ciuitatis illius duodecim fundamenta constiunt, in quibus scripta essent duodecim nomina Apostolorum agni.*] Quis autem inde effici nō videat, omnes ex æquo Apostolos fundamenta esse Ecclesiæ? addo etiam & Paulum, qui Petri ministerio non superstruxerit, vel absque fundamento ædificasse, vel si bono fundamento superstruxerit, falsò Petrum fundamentum illud constitui. Pergo etiam, & quæro, An non

In alio com-
mēt. ad Gal.
cap. 2.

Ephes. 2. 20.

Rom. 15. 20.

Hieronymus
in epist. ad
Tit. ca. 2.

non ministerium illud in ædificanda prædicatione Euangelij Ecclesia situm sit? Si ita est, Apostoli omnes qui salutis in Christo præcones fuerunt, huius architecti habendi sunt: Et quotquot huic fundamēto lapidiq; viuo superædificāt, fidi sunt operarij. Si verò architectos omnes esse asserant, Petrū ineptè fundamentum esse volunt: quum vnus & idem architectus, & fundamentum esse nullo modo possit.

Sequitur eodem loco: *Tibi dabo claves regni celorum: Quodcumque ligaueris: &c.* Ex hoc iterum loco contrarias theses elicimus. Hanc illi: *Christus soli Petro dat claves regni celorum, & ex consequenti Romanis Episcopis, tanquam Petri successoribus.* Nos longè secus statuimus: *Christus sub Petri nomine claves omnibus pollicetur, quas omnibus dedit Apostolis, iisque omnibus qui legitimè essent Euangelij munere defuncturi.* Si quæ sit clauium natura, quid ligare, & soluere, tenebimus: ab vtra harum propositionum stet veritas, facilè erit iudicare. Christus suum illud *ve in legis interpretes, intonat, qui sustulissent clauem cognitionis, ipsiq; non introirent, sed eos qui introire cuperent prohiberent.* Istitis autem doctoribus proculdubio docendi verbum Dei munus incumbabat. Claves igitur nihil aliud sunt, quàm prædicandi regni celorum prouincia, cuius portæ, prædicatione Euangelij recludantur. *Ligandi autem & soluendi voces Ioannes explicat, retinendi aut remittendi peccata verbis: quod nulla fit alia ratione quàm*

est Potestas clauium.

Luc. 11. 52.

*Mat. 18. 18.
Ioan. 10. 23.*

- vbi docetur remissio peccatorum, quæ Dei beneficio palàm exposita prostat iis omnibus, qui credituri sunt Euangelio. Claves igitur sunt verbi prædicatio : Ligare & soluere, verbi huius effectus, quod nonnullis in salutem, aliis in condemnationem cedit grauiorem.
2. Cor. 5. 18. Qua de causa Paulus suum *ministerium modò reconciliationis, modò vindictæ in incredulos* esse testatur : Eadem ratione qua multis ante seculis
- Isaia. 61. *Isaias annum beneuolentiæ & diem ultionis* fore
- De pudicitia 6. 21. comminabatur. Illud ipsum dicebat Tertullianus Eleuthero, Episcopo Romano, *Si quia dixerit Petros, [Tibi dabo] & idcirco presumis & ad te derivasse soluendi & ligandi potestatem, id est, ad omnem Ecclesiam Petri propinquam; qualis es tu euertens atque commutans manifestam Domini sententiam, &c. Petrus ceriè clauem imbuuit; vides quam? [Viri Israëlitæ auribus mādare que dico; Iesum Nazarenum virum à Deo vobis destinatum annuntio, &c.]* hoc est, clauē illa referre solitum Petrum, quum annuntiabat Euangelium, remissionem peccatorum iis qui Iesum Christum amplecterentur. Et Ambrosius, *Scribe & Doctores, qui in populo Iudaico erant præclarior portio Phariseorum, neglexerunt in cætera sua Prophetarum oracula, velut escam vitæ aeternæ porrigere; atque ideo doctrina eorum tanquam manus aruit imbecillis, &c. Et factum est ut tanquam contracta dextera clauem scientiæ tenere non posset, sicut ait Dominus [Væ vobis Pharisei, &c.]* Clauē igitur in populo Iudaico vocat doctrinam Propheticam. *Quatenus, ait*
- In Pl. ser. 8. *Theo-*
- Luc. 11. *Theo-*

Theophylactus, *Lex ducit ad Christum. Ideoq;* In lib. 4. Sentent. dist. 18. q. 1.
 Durandus ait, *Hæc clavis in Apostolis & Ministris Ecclesiæ est potestas remittendi peccata, quatenus per ministerium verbi & Sacramentorum aperiunt regnum cælorum. Non autem, ait Ferus, est hæc potestas terrena, neque etiam spiritualis, pro eorum arbitrio, sed quatenus exercent vocationem, & administrant verbum & Sacramenta.*
 Quod Hieronymus exponit, contra abusum In Mat. c. 16. qui tum temporis irrepebat in Ecclesiam, his verbis; *Hunc locum quidem Presbyteri & Episcopi non intelligentes, aliquid sumunt de supercilio Pharisæorum, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita queratur. Legimus in Levitico & leprosis, ubi iubentur, &c. Quomodo ergo ibi Sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat vel solvit Episcopus vel Presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo quum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui ve solvendus. Nempe Lege Dei, vel ut aptius exponam ex hominum peccatorum diuersitate, hoc est ex fide eorum & pœnitentia. Et alibi, *Soluunt Apostoli* In Esai. c. 14 *sermone Dei, testimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum, &c. Apertius Augustinus; Claves sunt discernendi scientia & potentia,* In Ioã. tract. 124. *qua dignos recipere, & indignos excludere debet Sacerdos à regno Dei. Iam verò ministerium illud obire vbiq; & apud omnes nemo homo potest. Nec igitur has claves solus aliquis habere potest, neq; hæc ligandi & soluendi prouita-**

ciam, quæ Christo manifestato in omnes mundi partes pertinet. Hinc fit vt Clemens, quem
 In 1. Epist. ad Iacob. Petri successorem faciunt, dicat, *Episcopos clau-
 ues esse Ecclesie, & habere potestatem claudere
 calum & aperire;* nempe per prædicationem
 Euâgelij, cuius sût ministri. Cur ergo, inquit,
 Mat. 16. nominatim Petro dictum est, *Tibi dabo?* Chri-
 stus omnes interrogauerat: *Quem me esse exi-
 stimatis?* Hic verò omnium nomine responde-
 rat: *Tu es Christus ille, &c.* In Petro itaque pro-
 mittit omnibus potestatem: quod rursus nomi-
 Mat. 18. natim exprimit cap. 18. his verbis, [*Quæcun-
 que ligaueritis in terra, ligata erunt in cælo*] omnibus-
 que post resurrectionem Apostolis ex æquo,
 nullòque adhibito discrimine, tradit his ver-
 Ipan. 20. bis: *Accipite Spiritum sanctum, si quorum remi-
 seritis peccata, remittuntur eis.* Quod igitur pro-
 missum fuerat, his verbis, *Tibi dabo,* non autè,
Tibi do, quæ futurum tempus denotant, omni-
 bus in vniuersum confertur, quemadmodum
 & omnibus in Petri persona qui omnium no-
 mine respóderat, promissum fuerat (quò ait,
 C. Confid. D. *Omnipotens Deus eum quæ cunctæ Ecclesie præfer-
 50. re disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & se-
 Vbi Rubrica, ipsum negare permisit, &c.*) Deniq; si (quod Gre-
 Ex Gregorio in homilia gregorius ille asserit) Petrus non ante resipiscen-
 Dominica Refurrectio- tiam caput Apostolorum esse cœpit: frustra se-
 nis. se torquent, dum ex hoc loco traditam illi po-
 testatem probare conantur. Quam si promif-
 sam hoc loco clauium nomine excipiant: Ex
 ipsa clauium traditione, quæ post Petri resipi-
 scentiam omnibus ex æquo facta est, & omni-
 bus

btis ex equo promissâ fuisse cōcludimus. Neq; verò hæc à nobis eò dicuntur, vt vel tantillū Petri auctoritati detrahamus, cuius incōparabilē zelum, & in Dei filio confitendo alacritatem agnoscimus: Sed vt Papæ illiūsque assentatorū imposturas retegamus, qui clauem scientiæ, qua Petrus donatus fuit, in clauem potentia transformarunt. Et prædicationis Euangelicæ loco tyrannidem in reges & populos inuexerunt: Regnum denique cælorum terrena monarchia commutarunt: quo quidem nihil est Apostolicæ doctrinæ magis contrarium & ex diametro repugnans. Et sanè Patrum omnium cum nostra hac congruit expositio.

Urbanus I. Episcopus Romanus perspicuè explicat locum hunc ligandi & soluendi ^{In Epist.} illo Ioannis loco cap. 20. *Cuicumque remiseritis, &c.* Hic locus agit de toto Apostolorum cœtu; & illum æquè de omnibus agere consequitur: Et sanè eo loco ad omnes Episcopos quod dictum est extenditur. Origenes verò adeo apertè hunc locum de omnibus Apostolis explicat; vt etiam ex ea expositione argumentum eliciat aduersus eos qui præcedentia ad Petrum restringebant, [*Tu es Petrus & super hanc Petram:*] *Quid igitur, ait, Iesus Christus num soli Petro claues dedit regni cælorum, nec alius beatorum quisquam eas accipiturus est? Quod si dictum hoc, [Tibi dabo claues regni cælorum, &c.] cæteris quoque cōmune est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium*

In Mat. tract.

1.

communiam? Nam hîc & illud velut ad Petrum videtur dictum; Quaecunque ligaueris, &c. Ceterum in Euangelio Seruator Spiritum sanctum dâs discipulis per insufflationem, Accipite Spiritum sanctum, dicit, Cui remiseritis peccata, &c. Vnde consequitur cōcludendum esse quod promittitur Petro, promitti etiâ omnibus; siquidem apud Ioannem in omnibus perficitur. Cyprianus; Christus Apostolis suis post Resurrectionē parē potestatem tribuit; [sicut misit me Pater, &c.] Vbi etiam explicat locū hūc altero illo loco Ioannis, [Cui remiseritis, &c.] Item, Hoc erant utiq; ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur, &c. Hilarius ad Apostolos sermonem dirigēs, Vos ô sancti & beati viri, ob fidei vestrae meritum, claves regni cœlorum, & ligandi & soluendi ius in terra adepti, &c. Ambrosius, Dominus quod ante erat iudicij sui, dedit Apostolis peccata remittendi aequitatem, &c. Denique audi dicentem, [Tibi dabo, &c.] Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur, &c. Hieronymus; At dicis, Super Petrum fundatur Ecclesia; licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves cœlorum accipiant, & ex aquo super eos Ecclesia fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, ut capite constituito, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? Erati delatum est, (notetur hoc propter ius personale) quia Petrus senior erat; ne adhuc adulescens ac pene puer prouecta ætatis hominibus antefere-

De vnit. Ec-
clesiæ.

De simplic.
Prælat.

Lib. 6. de Tri-
nit.

In Psalm. 39.

Con. Iouin. l.
v. c. 14.

referretur, &c. ne causam præbere videretur invidia. Idè alibi, *Habent quidem eandem iudicialiam potestatem alij Apostoli, quibus post resurrectionem ait: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis, &c. Habet etiam omnis Ecclesia in presbyteris & Episcopis: sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant quòd quicumque ab unitate fidei se separauerit, nec à peccatis absolui nec calum ingredi potest. Unitatis fidei meminit, non autem aut Petri aut Episcopi Romani. Item: Id iuris & officij habent euangelici sacerdotes, quod olim sub lege habebat legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa à Deo vel retenta iudicant & ostendunt. Nunc Augustinum audiamus, Sicut & in Apostolis quum esset etiam ipse numerus duodenarius, & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit, [Tu es Christus Filius, &c.] Et ei dicitur, [Tibi dabo claves, &c.] tanquam ligandi & soluendi solus acceperit potestatem, quum & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam personam gerens ipsius unitatis acceperit: Ideo vnus pro omnibus, quia vnitas est in omnibus. Idem, *Manifesta est sententia Domini nostri Apostolos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam promittentis, quibus nos successimus eadem potestate Ecclesiam gubernantes, &c. Idem, Quando Petro dictum est, [Tibi dabo, &c.] typum Ecclesie gerebat, vnus pro multis respondit; Et Ecclesie dictum est, Tibi dabo claves, &c. Idem de doctr. Christ. lib. 1. cap. 18. & passim. Hæc igitur Augustini loquendi formu-**

In Ioan. tractat. 118.

In Epi. Ioan. tract. 10.

In Ioã. tract. 124.

Tract. 10.

la est; In persona Petri clauēs omnibus fuisse promissas, & in eorum omnium Apostolorum persona, omnibus ex æquo ministris Ecclesię. Nam ait; *Si in Petro nost'o non esset Ecclesię Sacramentum, non ei diceret Dominus, [Tibi dabo clauēs, &c.] Si hoc Petro tantum dictū est; non facit hoc Ecclesiā. Si autē hoc in Ecclesiā fit, Petrus quando clauēs accepit, Ecclesiā sanctam significauit.* Vnde fit vt Matth. locum cap. 16. explicet per locum Matth. 18. & Ioann. 20. vbi conceditur omnibus Apostolis potestas clauium.

In lib. hom. 50. hom. 23. Idem de ver. Domini serm. 8. De doct. Christ. 1. 1. c. 18. De Sacerd. 1. 3. In Matt. c. 16.

Item, *Quid facit Ecclesiā cum dictum est; [Quę solueritis solua erunt?] Itē; Hęc clauēs dedit Ecclesię suę, &c. scilicet vt quisquis in Ecclesiā eius dimittit sibi peccata non crederet, non dimitteretur ei, &c.* Chrysostomus pluribus locis extendit hęc verba, non solum ad Apostolos; sed etiā ad omnes Presbyteros, & Pastores Ecclesię. Theophylactus quoque; ait enim; *Habent potestatem remittendi & ligandi quicumque sicue Petrus, Episcopatus gratiam assecuti sunt. Quamuis autem Petro soli dictum sit [Dabo tibi] omnibus tamen Apostolis concessę sunt. Quando? Quum dixit Ioan. 20 [Quorumcunque remiseritis peccata, &c.] Etenim quum dixit, [Dabo] futurum tempus signauit, hoc est, post resurrectionem.* Leo I. Romanus & ipse Episcopus, quum aduersus Constantinopolitanos Episcopos hęc ageretur quęstio, non aliter loquutus est, quamuis alioqui in ipsius operibus nō pauca appareāt ambitionis lineamenta. *Hęc, inquit, clauium potestas ad omnes etiā Apostolos & Ecclesię præsules*

In serm. de Natiuit.

sules est translata; Quòd autem sigillatim Petro sit commendata, idèò factum est, quòd Petri exemplum uniuersis Ecclesie pastoribus fuit propositum. Itaque ubicumque secundum Petri equitatè sit iudicium, ibi Petri priuilegium inueniuntur: Contra uerò ubi Petri equitas non reperitur, ibi potestas illa locum non habet. Ergo nulla adhuc à nobis potestatis clauis, sed tantum scientiæ reperta est, Euangelij uidelicet ministerium, quod quum sit còmune ministris omnibus, ei quoque clauis coniunctas esse necesse est. Quod & apud Gratianum in decreto repetitum inuenias, Petro non esse maiorem quàm reliquis Apostolis potestatem attributam. Et in decretalibus apud præcipuos Doctores, ligandi & soluendi auctoritatem in qua fundata est Ecclesie iurisdictionis, immediatè à Christo, non mediatè à Petro aut successoribus ipsius dimanare. Id quod Hincmarus Archiepiscopus Remensis, sub Carolo Caluo, Patrum textibus confirmat ac defendit; immò & ipsius Leonis I. quum alter Hincmarus Episcopus Laudunensis ab eo pro-uocare Romam uoluisset circiter annum 870. Ille ex professo scriptum edidit, quo probat, quod Petro fuit promissum, illi, sicut & reliquis Apostolis fuisse exhibitum, quum Dominus ipsis à Resurrectione sua coniunctim dixit [Quicumque remiseritis peccata] Et quamuis, post hæc magna luminaria in Ecclesia extincta, plurimæ in Ecclesiam tenebræ introierint; non potuit tamen hæc ueritas penitus suffocari, ne in ipsa quidè Ecclesia Romana apud eos qui in ea celebriores extiterunt. Omitta-

Gratian. in
Decr. dist. 12.
in nouo. 24.
q. 1. loquitur
Ioan. in c. 1.
de renuncia-
tionibus lib.
6. de penit.
dist. 1. Verbu
cum simit.

mus; quod Bernardus in persona Eugenij Papæ fulminat aduersus Papas, qui mutabant clauē scientiæ in clauem potestatis; & contineamus nos in contextu nostro. Certè Durandus ex-

In 1. 4. sent.
distinct. 20. q.
3. art. 4.

pressè dicit; *Quod dictum est Petro Matth. 16. [Tibi dabo, &c.] intelligitur de potestate ei data in foro pœnuentiæ. De collatione autem Indulgentiarum non est clarum quod debeat intelligi. Sancti etiam Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Hieronymus minimè loquuntur de Indulgentiis; Gregorius tamen loquitur, qui eas Roma instituit in stationibus. Prius verò tribuit potestatem istam omnibus Ministris. Sic & Hugo Cardinalis*

In Mat. c. 16.

qui refert eius executionem in locum illum Ioann. 20. quo dictum est omnibus Apostolis, *[Cuicūque remiseritis peccata, &c.]* Lyranus; *Tibi dabo; Non pro te solum, sed etiam pro cæteris. Sicut confessio Petri erat confessio aliorum; sic etiam potestas data Petro intelligitur data aliis: sed Petro præcipuè, ut qui erat eorum Capitaneus. Hæc postrema verba addita sunt in Papæ gratiam: sed quàm infulsè. Nam in margine quàm multa citantur loca Patrum, qui hunc locum de omni Ecclesia, omnibus Apostolis, Discipulis, Ministris, nulla addita restrictione, intelligunt: Ipsa quoque Glossa inter-*

De potest. Ec-
clesiast. con-
f. d. 21.
Ferus in Mat.
c. 16.
Sixt. Sen. lib.
A. annos. 72.

linearis ait, *[Tibi]* id est, *Ecclesia*. Gerson; *Claues non vni dante, sed vniati*. Prius etiam Occè accepit eodem sensu Sauanarola, *Ecclesia non Petro*. Ferus etiam hac nostra ætate. Sed Sixtus Senensis indignabundus exclamat, *In futurum, ait, pollicetur, non hoc loco dedit. Queramus igitur*

ubi

vbi ipse claves dederit in presenti: Et non occurrit alius locus, nisi Ioann. 20. [Accipite Spiritum sanctum; Quorum remiseritis, &c.] Verum quid sibi vult quod soli Petro promittuntur hæ claves; & tamen etiam Apostolis traduntur? Hic Dni Hieronymi sententiam proferre liceat; Habent etiã alij Apostoli, &c. Et integrum citat locum. Pauloque post sequitur, Habes quæ sunt claves, nunc usum videamus. Neque enim simpliciter & solo nutu remittuntur, &c. sed per certa media: Ea igitur inquiramus. Et hæc quidẽ in Mattheo & Marco clarissimè expressa sunt; [Euntes docete, &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.] Ea sunt media per quæ hæc potestas Ecclesiastica ad effectum perducitur; nempe prædicatio Evangelij & administratio Sacramentorum, quæ duo si quis in se receperit in fide, iam ei aperitur regnum cœlorum; iam ei remittuntur peccata. Neque ego aliud inuenio Apostolis traditum per quod suã potestatem exequi debeant, quàm hæc duo. Sed vt meliùs satisfiat lectori, legat quicquid ille scripsit in hunc locum. Ad hæc Marsilius Patavinus sub Ludouico IIII. Imperatore. Itẽmque Cusanus Cardinalis Concilij Constantiensis tempore opponebant aduersus eos qui proferrebant clauem potestatis quam sibi asciscit Papa; Episcopos & Presbyteros omnes aequè potestatem harum clauium habere. Sic enim Mar- Part. 3. c. 6.

lius; *Mirandũ est cur contendant aliqui, pertinaciter asserentes, nimis tamen rationabiliter, Romanum Pontificem reliquis Sacerdotibus ampliorẽ à Christo clauium potestatem accepisse; quum*

De conced.
Cath. l. 2. c.
13.

id ex Scriptura conuinci nequeat, sed oppositum magis. Et Cusanus; Quia ab illa potestate ligandi & soluendi quae est immediate à Christo, est diuina iurisdictionis potestas, patet omnes Episcopos, & fortè etiã Presbyteros aequalis potestatis esse, quoad iurisdictionem, licet non executionem quod quidem exercitium executiuum certis terminis positum clauditur. De quo etiã doctissimè contendunt tam Episcopi, quàm Theologi ab Vniuersitatibus constituti aduersus Papam Eugenium in Cõcilio Basiliensi. Dicunt enim hoc esse abuti textibus Euangelij; Nunquã hoc sensu à sanctis Doctõribus acceptos, &c. traditas esse clauis, non Petro; & in Ecclesia persona omnibus Episcopis & Presbyteris. Quod etiam ipsi citatis Patrum locis confirmant. Sed tamen pergamus. Ligandi & soluendi potestatis ^{cap. xiv} in suo pœnitentię Sacramento constituunt, vbi sacrificulus satisfactiones demãdat, quibus qui defuncti sunt, eos demum absoluit. Agedum respondeant, Deusne peccata remittat, an sacerdos dũ absoluit. Deus, inquiunt, is est qui remittit: sacerdos, qui in verbo significat: quod quarto suo lib. Magister ille sententiã multas ex patribus desumptis locis probat. Iuxta illud Chrysostom. Non enim sacerdos, sed neque Angelus in illud Ioã. aut Archangelus operari potest aliquid in iis quae dantur à Deo. Ac sanè indubitatum est, Christianæ religionis axioma quod illo loco dicitur, alium à Christo neminem tollere peccatũ, qui quidem agnus est ille Dei qui tollit peccata mundi: Ergo si Deus is est qui ligat & soluit,

Mag. sent. l.
4. dist. 18 c. 4.
ex Amb. Aug.
Chry.

In illud Ioã.
20. Quibuscũ
que remisisti.
Mag.
Ioan. Paris.
in lib. de po-
testa. regia &
papali.

uit,

ait, sacerdos autem ligatos & solutos declarat: quānā obsecro potestas est Papæ reliqua, cui neutrum horum competit? An non retinenda est Marfilij Patauini conclusio: Non maiorem esse potestatem Papæ in remittenda vel pœna vel culpa, quā gregarij cuiuslibet presbyteri? Rursus si Deus potestatem, vt ait Ambros. exercet; *Verbum Dei, ait, dimittit peccata; Sacerdos est Index; Sacerdos officium suum exhibet; nullius autem potestatis iura exercet.* Presbyter autem scientiam clauibus discretionis in ob- eundo munere vtitur: Quid superest Papæ reliquum, nisi vt Dei potestatem inuadere tentet? Quæ porrò clavis superest, quum nullum munus obeat, nisi clavis iniustitiæ? Denique, *si Deus, vt inquirunt Scholastici, habet clauem auctoritatis, quatenus absolute remittit: Christus Mediator clauem excellentiæ, quatenus satisfecit pro mundi peccatis: singuli Apostoli, Episcopi, Pastores, clauem ministerij, quatenus beneficium mortis Christi predicant, quam, queso, prerogatiuam hinc habebit Petrus, præ cæteris Apostolis, quam etiam ipsius vicarius, præ cæteris Pastoribus: nisi quatenus diligentius ministerium suum exerceant? sin verò aliquid amplius sibi arrogent, nõne hoc est & Dei auctoritatem & veritatem Christi inuadere?* Ergo, vt huius ex Matthæo loci interpretationem ex verborum proprietate, scripturarū collatione, fidei analogia, veterum sententia, canonum denique ipsius Romanæ Ecclesiæ præscriptis concludamus: Iesus Christus petra est siue rupes viuā, cui Apostolorum ministe-

Mar. c. 6. l.
2. & c. 15.
Magister, d.
eadem c. 8.

Durand. dist.
18. q. 1. art. 5.
8. & d. 19. q. 2.
art 5. l. 4.

rio superstructa est Ecclesia, cuius illi architecti fuerunt. Huic Ecclesie, quæ vna est, sub Petri præ omnibus respondentis nomine potestas clauium est promissa, qua videlicet regni cælorum porta referata pateat omnibus qui euangelicæ prædicationi auscultant. Quotquot huius ministerij munus obeunt, has clauas obtinēt, quæ patet ipsorum ministerium: qui verò nullo modo obeunt, easdem sibi temerè vendicant: vnde consentaneum esse conceditur, non modò Papam hoc ius sibi soli falsò arrogare, sed inter presbyteros infimum, qui modò fideliter munus exequatur in sua paræcia, potiorè iure quàm ipse pontifex germanum clauium vsum obtinere. Si nihilominus quoniam hæc verba Petro dicta fuerūt, locum ad Petri personam restringunt, perperâ quod Petro fuit peculiare ad singulos Romanos Episcopos extendunt. Sin rursus peruicaciter hoc quoque mordicus retinere velint, liceat hæc quoque verba, *Abcede à me Satana, es enim mihi offendiculo*, quæ proximè sequuntur, ac de Petro nominatim dicta sunt, ad personatos istos successores extendere; vnde nobis emerget hoc priuilegium, Petri successores, eosque solos, demones euadere posse, Romanamque Ecclesiam Christianæ reipub. petram esse offendiculi, quòd dum quæ in mundo eminent sectatur, ab iis quæ Dei sunt defecerit. Sed quia iam dudum viderunt, hunc locum parū pro ipsis facere, ideò apertè nunc profitentur Petri prerogatiuam non inde manare, sed

Math. 16.

Darand. l. 4.
c. 19. q. 2. ar.
tic. 6. & seq.

sed ex eo quod Christo post suam resurrectionem gubernationem totius Ecclesie ipsi commisit his verbis, *Pasce oues meas*. Atque huc tandem redit Durandus, magnus ille Sorbone Doctor, post longam huius materiae disceptationem.

Ex loco deinde Ioannis argumentatur, ubi ^{Ioan. 21.} *Pasce oues meas* ter Petro ingeminatum legitur, *Petre amas me? Pasce oues meas*: Ergo, inquit, in pastorem Ecclesie vniuersalem consecratus est. Ex pascendi mandato quam aptissime concluderent, eum gregi Christi pastorem constitutum fuisse. Verum vt pastorem vniuersalem siue pastorem pastorum dicamus, ex toto contextu nulla probabilitate potest elici. Pascere (ait ipsorum glossa in illum locum) est tu verbo tum exemplo docere, non orbi vniuerso præsideri. Omnibus autem Apostolis dictum legitur, *Ite in vniuersum mundum, & docete* ^{Mar. 28.} ^{Ioan. 20.} *Quemadmodum misit me pater, sic & ego. mitto vos*. Ergo omnibus dictum est, *Pasce oues meas*. Ipse quoque Abdias, quem tanti faciunt, introducit Ioannem sic ad Deum in suis precibus loquentem, *Filius tuus ouium tuarum Pastores nos constituuit*. ^{Abdias Baby Ion. lib. 5.} Paulus passim Apostolum se gentium esse profitetur. Idem autem, *Quis, inquit, pascit gregem, & de lacte gregis non edit?* Pastor igitur gregis erat. Quin tamen id ipsum essent alij, nunquam est dubitatum. Ab ipso Dei spiritu audiuit, *Eris mihi testis apud omnes homines*: ^{Act. 9. & 12.} Quod quidem illo pascendi oues mandato multo est generalius. Quis tamen inde con-

cludat, reliquos tantum fuisse subordinatos testes? Nempe Dominus omnibus dixerat, *Eritis mihi testes in extremos usque fines orbis.* At enim, inquirunt, qua de causa Dominus solum Petrum his verbis affatur? Nimirum Dominus à Petro, quia ter ipsum abnegauerat, ter amoris testimonium poposcit: & quoniam Apostolatus dignitate exciderat, ne minoris à collegis fieret, triplici hoc præcepto Dominus mandatum renouauit. Infirmittatis igitur consolatio potius quàm dignitatis est addita prerogatiua. Docemur autem à Patribus hoc munus pascendi oues Domini omnibus ex æquo Apostolis incumbere; adeoque ad eos hæc verba dirigi. Cyprianus; *Pastores sunt omnes, sed Grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.* Item; *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Quod repetit Gratianus in Decreto, itémque Scholastici: Et Sorbona his verbis explicat; *Sacerdotium, vel Ministerium est anima Ecclesie, que est tota in toto, & tota in vnaquaque parte.* Idem Cyprianus, seu potius Celerinus ad Lucianum scribens (insertum inuenitur Epistolis Cypriani) non minus existimat verba hæc ad Cyprianum dirigi quàm ad Petrum; laudat verò eum quod à quodam Crementio secessionem fecisset, & hortatur Pastores vt partantur cura; nisi velint in iudicium incurrere quod minatur contra falsos Pastores Dominus. Sic igitur ille; *Sed & Simoni sic dicit, Dili-*

De vnit. Ec-
clesia.

C. 7. q. 1.

Magister
Ioan. Paris.
cap. 13.]

Celerinus a-
pud Cypria-
num epist. 89

gis me? Respondit; Diligo. Ait ei, *Pasce oves meas.* Hoc verbum factum ex actu ipso quæ res sit cognoscimus; Et ceteri discipuli similiter fecerunt. Nolumus ergo fratres dilectissimi, vos mercenarios inuenire, &c. Augustinus hunc locum exponens in libro de Pastoribus; *Dicit Dominus; [Ecce ego abstuli malis Pastoribus. oves, &c.]* Cui dat, quod illis abstulit? Quomodo quod malis tollit non dat bonis? Sed dicit, *[Ego pascam]* tanquam omnino nusquam remanserint boni? Petro dixerat *[Pasce oves meas.]* Quid ergo faciemus? Quum Petro commendantur oves, non dixit ibi Dominus; *Ego pascam, non tu: sed [Petre amas me? Pasce, &c.]* An foris, quia modò non inuenitur Petrus? Iam enim assumptus est in requiem Apostolorum & Martyrum; Non est cui dicat securus Dominus ouium, *[Pasce oves meas]* Et quodammodo quasi necessitate descendit ad officium pascendi oves suas, non habens quibus commendet: non tamen deserens. Hoc enim sequitur, &c. Videtur addendum fuisse, abundè prouisum esse à successoribus Petri ad quos hæc verba & hoc munus non minus quàm ad ipsum diriguntur. Sed de his, ne verbum quiddè. Imò contrà addit; *Audite vocem Pastoris; colligite vos ad montes Scripturarum; ibi pascite ut securè pascatis, &c.* Et ibidem, *Non autem ait Dominus; Constituam alios bonos Pastores qui faciant hæc; sed, Ego pascam oves meas, nullis committam, &c.* Et pascam cum iudicio. Vide, quia sic solus pascit, cum iudicio pascens: Quis enim homo iudicat de homine? temerariis præiudiciis plena

De Pastoribus.
Extat etiam
in operibus
Hieron. t. 9.

sunt omnia. Sed nulline alij erūt Pastores præter Christū? Immò multi, ait, sed in eo solo. Addit enim, *Quæ sunt oves meæ audiunt vocē meam, & sequuntur*, inquit Christus. *Hic inuenio omnes Pastores bonos, in vno Pastore. Non enim verè Pastores boni desunt, sed in vno sunt. Hic vnus prædicatur, quia vnitas cōmendatur. Neq; enim verè modo ideo tacentur Pastores, & dicitur Pastor, quia nō inuenit Dominus cui cōmendet oves suas; tunc autē ideo cōmendauit, quia Petrū inuenit. Multi erāt Apostoli, & vni dicitur, Pasce oves meas; &c. Sed omnes boni Pastores in vno sunt, vnū sunt: Illi pascunt, Christus pascit. Non enim vocē suam dicunt amici sponsi, sed gaudio gaudent propter vocē spōsi. Idem ergo ipse pascit, quum ipsi pascunt, &c.* id est, ducunt gregem, proponunt ei verbum ipsius: sed Christus interiori efficaciter agit. Omnes igitur, nulla addita distinctione, Pastores sub Christo, eorundem Pastorum dispensatores, & Pastores, ipsaque pascua ab eodem Christo. Vnde colligimus, 1. Quod dictum fuit Petro & omnibus dictum Apostolis, omnibus æquè pascentibus in Christo, omnibus immediatè sub Christo: Et in Apostolorum persona, Ecclesiæ, & omnibus ipsius Ministris. 2. Tum prorsus fuisse inauditum locum hunc ex consequentia ad Romanam Ecclesiam referri: siquidem Augustinus alligat personaliter Petro, non autem ad Successores extendit: Et tamen multo illi facilius fuisset dicere; De vno tantum Pastore fit mētio, quia Christus constituit Petrum Pastore

œcumenicum, & successores eidem in eodem munere succedere; omnes Episcopos toto orbe & sub eis & sub illo. Alibi Augustinus eodem sensu; *Comendabat Christus agnos suos Petro, qui pascebat & Petrum. Ergo fratres eum obedientia audite oues vos esse Christi, quia & nos cum timore audimus, [Pasce oues meas] Item, Quum dixit Petro; Amas me, Pasce, &c. idem dicebat & ceteris. Idem, In vno Petro figurabatur unitas omnium Pastorum, sed bonorum. Idem in Ioannem tractatu 121. Chrysostomus quum exhortaretur Basilium ad munus Episcopale, sic ait, *Tum ostensurus es eximiam tuam dilectionem in Christum, quum paueris eius gregem; quum scriptum sit; [Si diligis me pasce oues meas]* Ad eò vt hi Patres non minus iudicarint hæc ad se verba pertinere: ad se, inquam, qui erant Constantinopoli, Bonne in Aphrica &c. quàm ipsi Petro. Quod si vrgeant Aduersarij; Cur ergo hæc verba ter Petro repetuntur? Augustinus alioqui acutissimus non alium huius loci sensum vidit. Sic enim in Ioannem, vbi locum hunc ex professo explicat: *Redduur negationi trina trina confessio, ne minus amoris lingua seruiat quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita presens. Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oues Christi, vt suas esse velint, non Christi, si conuincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, &c. Nam quid aliud est, Si diligis me,**

De verb. Domini sermo ne 62.

De agone Christiano.

In serm. de Petro & Paulo.

L. 2. de Sacerdotio.

Aug. in Ioan. tract. 123. c. 21
Item Hilar. & Cyril. in eundem locum.

pasce oues meas: quàm si diceretur, Si me diligis, nõ te pascere cogita: sed oues meas: sicut meas pasce, non sicut tuas, &c. gloriam ergo meam quere in eis, non tuam, &c. Cyrillus, Altius quiddam hæc oratio parturit. Nam quoniam cum aliis Apostolatus nomine Petrus decoratus, ter in tempore passionis negauit, iure nunc ab illo irina dilectionis confessio petitur, ut irina negatio equali confessionis numero compensetur. Ita quod verbis commissum fuit, verbis curatur, &c. Dixit autem, Pasce agnos meos, Apostolatus sibi renouans dignitatem, ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur. Apostolatus, dixit, non autem Primatus in Apostolos. Idem ait Ambrosius. Deniq; non inueniemus multis à Domini mortè seculis hũc locũ citatũ fuisse ab Episcopo Romano, quasi eo ipso Pastorũ pastorẽ se esse probaret, nec etiã alia expositione illustratum. Testatur quoque Papa Pius II. idem iudicatum fuisse in Basiliensi Cõcilio. Saltem suam Missam audiant, in qua singulo quoque die occinunt: Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, te quidem omni tempore suppliciter exorare, ut gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, ut eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eisdem contulisti præesse pastores. En igitur ex ipsa Missa omnes Apostolos rectores, pastores, & immediatè Christi vicarios. Quod si in ipsa Petri causa Petrum iudicè admittere malint: Presbyteros, inquit, qui inter vos sunt precor ego

*vnà presbyter, pascite gregem Dei, qui penes vos est, curam illius agentes, non coactè, sed libenter, &c. Nequaquam ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis. Et quum apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcescibilem illam gloriæ coronam. Si quis in hæc verba, Pascite gregem, ex eorum more sophistam velit agere: inde concludat, Petrum in alios suū munus contulisse. At hoc vnum vrgemus, Petrum se pastorum pastorem non venditare, sed ad Dominum Iesum Christum pastorem pastorum illos relegare. Sed enim quod non-^{Fiet vnum ouile, &c.} nulli obiiciūt: *Et erit grex vnus & vnus pastor,* adque Papam id referunt, longè est deterius. Ipsa contextus series ostendit eo loco agi de gentium vocatione. Vnde Gregorius in^{Gregor. & Theophyl. in Ioan.} glossa: *Hæc, inquit, idcirco dicuntur, quia Iudaicum & gentilem populum in sua fide cōiungit.* Et Theophylactus: *Quia vnum omnibus baptismi signaculum, vnus pastor, nempe verbum Dei.* Sed quid in re tam perspicua tēpus terimus? Idem esto de his locis iudicium; *Prouehito in^{Luc. 5. v. 4. & 10.} alium & demittite retia vestra ad capturam,* *Ab hoc tempore homines viuos capies; con-^{Luc. 22. 32. Matt. 17. 24.} firma fratres tuos.* De Didrachmate, aliisque eiusmodi. Qua igitur fronte hæc loca proferrunt, quum Concilium Basiliense hæc in cōtrarium sensum detorta pronuntiet? Ad hæc audiant Hieronymum; *Dominus causam erro-^{In Mat. c. 18.} ris intelligens, gloriæ desiderium humilitatis contentione sanauit; quia collegerant Apostoli ex solutione didrachma, Petrum Principem futurum,**

In Matth.
tract. 5. vide
locum.

&c. Sic quoque Origenes in huius loci expositione.

Luc. 22. 35.

Verum enim uero nunc alium locum proferrunt, quo eos uti puduit, quousque gladium haberent, quem (ut suam interpretationem tueretur) distringere possent. Dominus Iesus morti proximus his verbis suos Apostolos alloquebatur: *Quando misi vos absque crumena & pera & soleis, num quid defuit vobis? Ipsi vero dixerunt, nihil. Dixit ergo eis: At nunc qui crumenam habet, vendat pallium suum, & emat gladium. Dico enim vobis adhuc oportere in me perfici scriptum illud: Cum sceleratis numeratus est: Nam ea quae scripta sunt de me, finem habent. At illi dixerunt, Domine, Ecce duo gladij hic. Ipse vero dixit eis; Satis est. Nemo non videt ex ipsa orationis serie admoneri discipulos, quid hostes in Christum molirentur: In quo tamen nullus*

Vnam sanctam
Extrau. de
Maioritate
& obedientiam.

erat armorum carnalium usus. Extrauagantiū tamen papisticarum conclusio in hunc modū extrauagatur: Scriptum est: Ecce hic duo gladij: Ergo Petrus, id est, Papa cum successoribus totius sunt mundi capita tum in temporalibus tū in spiritualibus. Hæc est illa præclara Bonifacij VIII. Decretalis determinatio, cuius causa Rex Philippus fulmine illo pontificio ictus fuit, & cuius initium est: *Vnam sanctam Ecclesiam*, Eiusmodi conclusione addita: *Porro subesse Romano pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, & definimus esse de necessitate salutis.* Atqui illo loco de Petro nominatim non agitur: sed genera-

Extrau. de
Maior. & obedientiam.

nera

neraliter de omnibus: Neque de dominio
 queritur, sed persecutione. Et Christus ipse
 litem dirimit, dum Petrum iubet gladium re-
 condere in vaginam. Ea autem impudentia
 fuerunt, vt huius loci pretextu iurisdictionem
 in vniuersum orbem inuaderent: Ea autem
 Principes & populi ignorantia & inscitia la-
 borarunt, vt huius se tyrannidis pedibus pro-
 terendos subiicerent. Iniurius haud dubie Pa-
 tribus viderer, si illorum suffragia ad istas ine-
 ptias refutandas accerferem, quorum alij gla-
 diorum nomine nouum & vetus testamentum
 intelligunt, alij bonam doctrinam, alij virtu-
 tis exemplum, quod & illorum glossa ample-
 ctitur. Omnium potius iudicium appello, an
 non isti palam Christo & ipsius verbo illudat,
 Pharisaicumque illud, *Aue rex Iudeorum*, re-
 ponant: & an alia ratione gladij isti retundi
 debeant, quam legitimo Principum, qui Chri-
 stiani dicuntur, gladio. Aequè firma est hæc
 altera obiectio: *Fecit Deus duo luminaria: Papa sol est, Imperator luna*: Ergo infinitis par-
 tibus Imperatorè Papa dignitate superat. Qui
 bus vnum suum Isidorum opponere sufficiat,
 à Sorbonico Doctore probatum: Is solis no-
 mine regnum: lune, sacerdotium intelligit.
 Christus Iesus, inquit, iussit dæmones in
 porcos intrare: Ergo Pontifex est temporaliū
 Dominus. Rursus verò quamuis blasphemiam
 superat quod dicunt, *Mihi*, inquit Domi-
 nus, *omnis potestas data est in celo & in terra*: Matt. 11. & 23.

Amb. in
 Luc. & gl. in
 illum locum.
 Beda in Luc.

Extraua. ead.
 & ibi glos.
 Isid. super ge-
 nes. cap. 1.
 Mag. Ioan.
 parif. c. 25.

Pontifex igitur nullis constrictum legibus in
cælum & terram habet imperium. Sed notari
debebant voces illæ, quæ immediatè sequun-
tur, [*Ite predicare, &c.*] Hoc est, Ne dubitetis
quin vobis cõferam eam potestatem qua vo-
bis reddentur omnia facilia : Et tamen hæc il-
la sunt totis Decretalibus allegata testimonia,
& Pontificiæ potestatis firmissimæ probatio-
nes.

Verùm quum ista nostro seculo agitarètur,
non minus inepta & blasphema nuper com-
mèti sunt. Scriptum est (inquiunt Iesuitastræ,)

Ezech. 34.

*Judicabo, inquit Dominus, inter ouem & ouem,
inter arietem & hircum :* Ergo Petrus in succes-

Aug. li. de
paſtor.

soribus iudex est vniuersæ terræ. Librum in-
tegrum edidit Augustinus in hoc Ezechielis
caput. Neque tamen, qua fuit hebetudine, la-
tentem in hoc versiculo fidei articulum ani-

maduertit, nec ipse quoque Theodoretus. Nos
quoque ex his verbis, sed longè aliter argu-
mentabimur. Ezechiel Deum inter oues iudi-

caturum asserit: Idem si Papa tribuit, Deique
thronum inuadit: Ergo Papam eum esse oportet,
quem Paulus prædixerat futurum, vt supra

id omne quod Deus est sese efferret. Item, Do-
cet Petrus, Baptisma fuisse arcæ ἀντίτυπον: vnde
consequitur; non secus ac in arca seruatum

fuit genus humanum & quodammodo rege-
nitum: Sic Christianos Baptismate regenerari.

At isti contrariam conclusionem eliciunt: Ba-
ptisma est Arcæ ἀντίτυπον. Noë filiorum suo-
rū caput in Arca fuit. Petrus igitur in succes-

soribus

1. Pet. 3.
Turria. p. 50.
51. 52.
Turria. p. 26.
&c.

foribus caput est Ecclesiæ. At quæ, obsecro, Dialecticorum schola hanc disputandi rationem non exhibebit? Nos autem cum bona ipsorum venia aliter concludemus. Iustinus Martyr antiquitate inter patres venerandus, dum hunc locum explicat, Noah Christi *τύπον* constituit, tanquam alterius gētis ex regeneratione principium: Si tamen Papa ipseus *ἀντίτυπον* statuit: Ergo vel Papā Christum esse oportet: aut, quum hoc non possit, illū potius esse qui ipseus in Ecclesia locum occupaturus erat, nimirum Antichristū. Istorum causa me puderet hæc loca proferre, nisi & ij, quos nō pudet cadenti pontificū causa patrocinari, tā proiecti essent pudoris, vt hæc proferant: & ingentia volumina conficiāt: Ex quo apparet, quanta testimoniorum penuria laborent, qui ad ista confugere cogantur. Nec tamen vlli vnquam ex Patribus venit in mentem his locis in eum sensum abuti: Ideoq; Cusanus Car-

Iustinus Mar-
tyr in Tryph.

I. 2. de con-
cord. Ca-
thol.

Oportet, si hoc verum foret, Petrū aliquid à Christo singulariter accepisse, & Papam in hoc successorē esse; sed scimus quòd Petrus nihil plus potestatis accepit à Christo alijs Apostolis, 21. dist. c. In nouo. 24. q. c. loquitur. Nihil enim dictū est ad Petrū quod alijs dictum non sit. Nonne sicut Petro dictum est; [Quodcunque ligaueris, &c.] Et si Petrus per petram, tanquam lapis fundamenti Ecclesiæ intelligi deberet, tunc secundum S. Hieronymum ita similiter alijs Apostoli fuerunt lapides fundamenti Ecclesiæ, de quibus habetur Apo-

cal. penultimo, &c.

Quum igitur ex scripturis Petrum à Domino caput Ecclesiæ constitutum fuisse nõ constet: imò potius non fuisse constet: consequitur ut videamus, an Petrus à Christo passò hoc munus obierit, aut reliqui Apostoli hoc illi detulerint. Primùm Samariam cum Ioanne mittitur ab Apostolis. Sanè qui mittit, in eum qui mittitur ius aliquod habet. Accusatur à fratribus quòd ad gentes diuertisset, id quidem iniuria: accurata tamen Apologia factum apud illos excusat. Non igitur illi quidvis licuit pro arbitrio gerere à fratrum examine immuni. In synodo Hierosolymitana de vocatione gentium, quam ex reuelatione didicerat, sententiam suam profert: Iacobus autem tamquam præses concludit, & Ecclesiæ totius nomine litteræ cõcipiuntur. Atqui illo præcipuè loco, si qua fuisset dignitatis præstantia, patere debuit. Gratianus quoque hinc elicit 4. *Concilia congregata fuisse in Act. Apostolorum, sine Petro. & Iacobum præfuisse Hierosolymitano, non Petrum.* Denique se presbyterorum Ecclesiæ collegam profitetur, neque decretis aut mandatis cogit, verùm ut pares amicè hortatur. Quòd si pergamus, Paulus primo & altero ca. ad Gal. palàm se ab illius subiectione eximit, ac nec Petrum id postulasse docet, sed datas tantùm sibi fuisse dextras societatis, ut pergeret in opere Domini promouendo. Quin & Petrum in os à se reprehensum fuisse, cui tãquam æquali & socio restiterit. Vnde ait Cy-
pria

Act. 8.

Act. 11.

Act. 15.

Tom. 4. in
proposit. vii.
libus ad ex-
tern. schis-
matis.
1. Pet. 5.

Gal. 1. & 2.

prianus, Num nec Petrus, quem primum Domi-
 nus elegit, & super quem adificauit Ecclesiam suam,
 quum secum Paulus de Circumcisione postmodum
 disputaret, vendicauit sibi aliquid insolenter, aut
 arroganter assumpsit; ut diceret se Primatum te-
 nere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi po-
 tius oportere. Et in quæstione de authoritate
 quam sibi Stephanus Episcopus Romanus ar-
 rogauerat in damnandis Africanis, quoddam de
 hæreticorum Baptismate decreuerant. *Quam-*
obrem & glossa ordinaria secundum Augu-
stinum: Ceteri Apostoli videbantur esse maiores
Paulo, quia priores, iste minimus, quia nouissi-
mus: sed inde apparet dignior, quia priores consti-
tuti sunt per Christum adhuc ex parte mortalem:
nouissimus uero Paulus per Christum iam ex o-
mnium parte immortalem. Item, Nihil à Petro aut
alijs didicit, sed alios docuit: Alique nihil contu-
lerunt, sed ipse contulit & profuit Petro. Sed Am-
brosius magis expressis uerbis, Petrum solum
nominat & sibi comparat, quia primatum ipse ac-
cepit ad fundandam Ecclesiam. Se quoque pari
modo electum ad fundandum Gentium Ecclesias;
Ita tantum, ut & Petrus Gentibus predicaret, si
esset occasio, ut & Paulus Iudeis; nam uterque
inuenitur utrunque fecisse. Sed tamen plena au-
thoritas Petro in Iudaismi predicatione, & Pauli
perfecta authoritas in predicatione Gentium in-
uenitur; unde & Magistrum se Gentium uocat in
fide & ueritate. Unusquisque enim pro uiribus
suis, & dispensationem sortitus est. Difficilius e-
nim fuit eos qui longè à Deo erant, ad fidem suam

Gloss. ordin.

Glos. ordin.
 secundum
 Hieron.
 Hieronymus
 in epistol. ad
 Gal. c. 2.
 In cap. 2. ad
 Gal.

attrahere & suadere quàm proximos, id est, Gentes, quàm Iudæos. Patet igitur hîc non agi de Petro, vel eius sede. Nam & Roma, nôsque omnes sub Gentibus comprehendimur: multò minus etiam de ipsius prærogatiuis. Imò & ex Ambrosij verbis elicitur apertè Paulum Petro præferri, siquidem eius dispensatio amplioris doctrinæ & difficilior fuerit, quàm Petri. *Dominus Iesus qui in nobis est*, ait Paulus, *alios constituit Apostolos, alios Prophetas, alios doctores in ministerium Euangelij.* Ac iterum: *Nos unum corpus & unus spiritus, una spes uocationis, unus Deus, una fides, unum baptisma.* Supererat ut unum Ecclesiæ caput ministeriale in Petro & successoribus, vnitatis causa commédaret in sede Romana. Atqui in his omnibus ne minima quidem delineatio primatus apparet. At enim sapissimè Petrus primus nominatur. O miserum tam prodigiosi ædificij fundamentum. Quid beatæ virgini fiet, quæ non semel postremo loco recensetur? Quid Petro, qui Iacobò etiam à Paulo postponitur? Atqui, inquit, primas in dicendo partes sapiùs obtinuit, eximiis donis ornatus fuit, & à patribus inter Apostolos primus appellatus. Et quis, obsecro, nostrùm, Petri excellentiam inficiatus est, quis zelum incomparabilem non admiretur, quis non eum in editissimo Ecclesiæ loco statuit? Rursus quis eum ex aduerso grauiùs quàm Papa dehonestat, qui fæditatem & vlcera sua Petri nomine obtegit, eoque prætextu nominis. *Simonis mūdum*

vni-

Eph. 4.

Acto. 1.
Galat. 2 9.

vniuersum Simonia sua replet? Primum sanè locum inter Apostolos Petrus tenuerit aut ætatis causâ, vt ait Hieronymus, aut zeli, vt recenset Marsilius Patauinus: vel propter *εὐμαρίας* exuberantiam, ex Cardinalis Cusani, post Augustinum, sententia: in cœtibus etiam illorum præses federit. Quid illos ista iuabunt? Cœtus omnes primatum habent ordinis: ex quo tamen non sequitur aliorum in alios aut potestatis aut dignitatis primatus. Germanicum imperium septenarium habet electorum numerum: Archiepiscopus Moguntinus Comesque Palatinus primas inter eos obtinent: ille inter Ecclesiasticos, hic inter seculares, quos vocant. Iam si quis inferret: Ergo in collegas, qui ex æquo ius suffragij habent in eligendo, vel in alios etiam qui hoc carent honore, imperiũ habet: ridiculũ foret. Neq; verò est vllus bene cõstitutus cœtus, cui non præsit aliquis, qui tractãda proponat, suffragia colligat, iudiciũ ferat ex cõmuni omnium sententia. Hic igitur quoscunque libitum fuerit stabiliet vel exauctorabit: Nemo nõ reclamabit. Fac etiam Petrũ duodecim viris præsidem assedisse, Apostolorũ suffragiis electum (quod tamen ipsis nondum concessum est:) Si quis inde concludat, Necessè est igitur in quouis cœtu vnum aliquem præfici ordinis causa: apta erit conclusio: Ergo Papam vt Petri successorẽ necessè est vniuerso mundo præesse: Hic iam nullus ordo superest, verũ totius mundi confusio. Adhæc (quod multo an-

Marsil. l. 2.
c. 16.
Card. Cusan.
l. 2. c. vlti. de
Conc. Cath.
Aug. in Ioan.
serm. vlt.
Hier. cont.
Iouin. l. 1.

22. dist. sacro
sanct.

Marfi. Pa-
dua. 1. 2. c. 16.
& 18.

Card. Cusan.
1. 2. c. 13. & c.
vlt.

In tract. de
vita Spirit.
animæ lect.
2. tom. 3.

Vide etiam
Ioan. Franc.
Picum de Fi-
de & ord.
cred. theo. 8.

te tempore perappositè aduersus Papam dis-
putatum fuit) Si petrus iuxta decretum Ana-
cleti ab Isidoro citatum in præsidem ab Apo-
stolis est electus; non statim consequitur, il-
lius successori ius idem competere in succes-
sores Apostolorum, nisi & ipsorum accedant
suffragia. Etenim qui Ioanni vel aliis Apo-
stolis, ait Marsilius, successerunt, præstatiores es-
se potuerunt Petri successoribus, quos elige-
re licuerit communi omnium calculo. Hæ e-
nim personales sunt dignitates, quibus hære-
ditario iure nõ succeditur, nec cathedris sunt
affixæ, sed ab eorũ consensu pendent qui eas
instituerunt: quod vsque adedò verum est, vt
Cardinalis Cusanus non sit veritus profiteri:
*Quòd si per possibile Treuerensis eligeretur pro
capite Ecclesiæ; ille propriè plus successor esset bea-
ti Petri, quàm Romanus Episcopus. Non enim
successio ex loco arguit successionem in principatu,
&c. Habet enim Ecclesia potestatem liberam sibi
de capite prouidendi. &c. Et teneretur tum Epi-
scopus Romanus Treuerensi obedire. Eò redit
Gerson, dum ait, Dicta Apostolorum & disci-
pulorum Christi sunt alterius authoritatis, in his
etiam quæ purè sunt de fide, quàm quorũlibet suc-
cessorum, &c. Itè, Propositiones in Euangelis pos-
sitæ; Petrus fuit Apostolus; Petrus accepit autho-
ritatè ligandi & soluendi, de quocunque successo-
re Petri firmata, non ita à Christo & sacris literis
habentur. Ergo perspicuum est ex scripturis,
Petru à Domino Iesu Christo caput Ecclesiæ
non fuisse designatum. Hanc ipsum dignitatè
nec*


nec sibi vindicasse, nec Apostolos illi attribuisse: Ac nec Pontificem totis quingentis à Christo annis vilo in Cócilio vel vnicú Scripturæ locum ad confirmandum, quum oppugnaretur, Papatum protulisse. Atque inde antiquitatis patrocinio freti concludimus, Papá nec successoris quidé Petri nomine ministeriale caput Ecclesiæ dici posse: Aliis episcopis parem esse: Primarum quem occupat diuino iure nullo modo niti: Et ex consequenti quotquot huic superstructi sunt articuli fidei, quorum causa pontifices Rempub. Christianam concutiunt, & sursum deorsum voluunt, Iesum Christum nec basim nec fundamentum habere.

Card. Cusan.
l. 2. c. 17. & 13.



PAPAM SIVE EPISCO-
pum Romanum non esse vel humano iure Catholica Ecclesia caput ministeriale: & quibus artibus hunc titulum & potestatem usurparit.

C A P. VIII.

 Vandoquidem agitur de Petri successione, ac quibus in rebus sita sit, satis superque conster: videndum est, quas tabulas proferant, vt in huius possessionem mittantur. Petrum Romæ fuisse contendunt: